

Doctrinaeque decus debet natura puellue?
 Scandis Apollineos colles virguncula. prisca.
Excidimus iam laude viri. vilescimus ultra,
 Foeminaque ingenio nostros transcendis honores.
 Mirabor magis? an rerum portenta dolabo?
 Num dicam peccasse Iouem? vel mascula miris.
 Inuerti simulacra modis? Sempronia nobis
 Altera, et Arctoo melior sub sidere Sappho
 Nascitur, atque nouam protrudit Pallada terris.
 Iuppiter et veteres mulier scrutatur Athenas.
Non Latium, non Roma satis, non sufficit uno,
 Orc loqui, minor est simplex facundia votis.
 Virginis. Argolicas etiam (prob numina) voces.
 Anna legit socialque suum cum Cecrope Belgam.
 Si mirum antiquae committi scripta Corinnae,
 Haec etiam, quod scribat, habet, si conscientia rerum
 Prodidit exactis Manto sua carmina seclis,
 Egregiumque aliquid grandes cecinere Sibyllae,
 Et Mariae mens ista potest. sociata marito
 Polla fuit, iuuitque sui commenta poëtae.
 Nec minus illa virum studiis succurrere posset,
 In socios admissa thoros. quid Belgica iactas
 Belligerasque rates, et magno Principe fultas.
 Imperii crescentis opes? quid didita fama
 Praetria? Barbaricis oneratas mercibus alnos,
 Totque nouis passim laxatas moenibus urbes?
 Hic maiora stupe, rarum Battavia nomen.
 Conficit una tibi. praestat facunda virago
 Tot titulis, fastusque leves virtutibus anteit.
 Nec precum iam sexus habet. cum virgine, docti,
 Communes animos geritis. utilissima nostri

Portio